

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio XXVII.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis
Reétore

Respondente,

CHRISTOPHORO VOGELIO,
Nofsa-Hermunduro.

Dominica VI. poft Trinitatis.

A. O. R. cl. lcc. III.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegelij*



EVANGELIUM

CHRISTIANO GUEINZIO

CHRISTOPHO VOCHTIO

HALLI 24 JUNI

Problema christi in christum





ANALYSIS

EVANGELII

DOMINICA VI. POST TRINITATIS.

Matth. 5. à v. 20. ad 27.

INTRODUCTIO.

David Rex & Propheta iustitia, & domesticorum suorum amantissimus semper fuit; & si qua hosce affecisset quis injuriâ, vindicabat severissimè, ut in legatis ad Ammonitas declaravit manifestissimè, 2. Sam. 10, 18. & 1. Paralip. 20, 18. Minus patitur Iesus Christus, suorum quemquam despici, vel infamari, dum injuriam proximi suam esse ducit. Itaq; vetat, cuiquam vel bilem cieri: & quid si velint esse iusti, qualis esse debeant

N

hâc

hâc in parte justitiâ, sæpius ostendit, potissimum etiam in hoc Evangelio.

THESIS I.

In quo docetur de justitiâ verâ generaliter: ubi est Pharisæicæ improbatio per antithesin oppositorum instituta per comparisonem imparium collatio: v. 20. In quo partim est comparatio, quoad antecedens majus: Nisi abundaverit justitia vestra. Occupatus enim fuerat Christus in repurganda lege divina à corruptelis Pharisæicis, non ut alia nova mandata legi divina adderet, sed ut legis veram sententiam restitueret. Nam & in populo Judaico Sadducæi erant, qui sibi nomen imposuerant à justitiâ, licet homines essent sceleratissimi. Et Pharisæi, qui sese separabant ab aliis, ac si meliores essent: tamen nec illi veram doctrinam docebant: Propterea cum Christus docuisset, requiri perfectam obedientiam, & legis observantiam, subjungit modo admonitionem, qualis esse debeat: nempe abundare, seu perfectior esse. Et per justitiâ dicit omnem virtutem, habet Leo serm. 7. de jejuniis septimi Mensis cap. 2. Sicut & cum dicitur justus erat Job:

Jobi

Job. 1, 1. pius, & irreprehensibilis intelligitur. Horrescis igitur, ô homo ? animadvertens, quanta à nobis repetantur ? Deinde docet quomodo abundare debeamus : habet Theophylactus in Matth.

2. Et consequens, minus : plus quam Scribarum & Phariseorum. Quia 1. horum justitia consistebat in externis : unde que interna concernant, mandata minima vocabant, Matth. 5, 19. 2. Opinabantur se propriis viribus legem adimplere posse, uti patet ex Matth. 19, 20. Et quidem adeo, ut possent aliquid supererogare Luc. 19, 29. 3. In operibus legum suam constituiebant justitiam Luc. 10, 29. Rom. 9, 31. 4. In ea confidebant, Luc. 18, 9. 5. Faciebant opera in laudem propriam, Matth. 6, 1. 6. Praeferebant traditiones operibus à Deo prescriptis, Matth. 12, 7. Sed talis justitia non placere potuerat Deo : quia erat mercenaria, Luc. 10, 25. erat humana, Matth. 15, 3. erat hypocrita, Luc. 12, 1. & planè nulla : Quia contra 1. preceptum negligebant dilectionem Dei, Luc. 12, 31. Contra 2. jurabant leviter, Matth. 5, 34. Contra 3. in Sabbatho charitatem negligebant, Joh. 5, 11. Contra 4. egenos parentes non aiebant, Matth. 15, 5. Contra 5. Prophetas occidebant, Matth. 23, 31.

N 2

Con-

Contra 6. mœchos faciebant, dum libellum re-
 pudij omnibus dabant, Matth. 19, 9. Contra 7.
 avari erāt, Luc. 16, 4. Contra 8. maledicebant,
 Luc. 11, 8. Contra 9. sub prætectu precum vo-
 rabant domus viduarum, Matth. 23, 14. Con-
 tra decimum intus pleni erant rapinarum,
 Luc. 11, 39. Ideoq; tandem erat tantum ima-
 ginaria, quorum erat dicere & non facere, uti
 habet August. lib. 1. de Fide & Oper. Ut di-
 scamus, omnino requiri aliam justitiam me-
 liorem, perfectiorem, & abundantio-
 rem; & notemus non illam esse veram. Unde Isidor.
 Pelusiota Lib. 1. Epist. 97. Scribit: Uti illi,
 scilicet Pharisei, se per legis meditationem le-
 gem exsequi putabant, quod litera prædicatio-
 nem, & rei operationem sibi satis esse pro sua
 negligētia estimassent: eodem modo nos quoq;
 quod Dei altaria contingimus, nos ad Deum
 properare opinionis errore nobis fingimus. At
 Dominus nobis hanc opinionem amputans,
 utitur his verbis: Nisi abundaverit justitia
 vestra: quod perinde est, ac si diceret: Nisi
 vos, qui fucum ac prætextum ad Dei ministe-
 rium sufficere estimatis, opinionem in actio-
 nem convertatis, Dei regnum vobis minimè
 patebit. Proinde illa abundans & superab-
 undans justitia est, quæ fluit ex Christi merito
 fide

fide apprehenso, quippe ipse est justitia nostra; Ierm. 23, 6. ex 1. Corinth. 1. 30. & quia copiosa, Psal. 130, 7. quia superabundavit gratia, Rom. 5, 21. Tunc isti sumus, inquit Hieronymus, lib. 1. contra Pelagium, cum nos peccatores fatemur, & justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia consistit.

3. Et negatio: Non potestis ingredi in regnum cœlorum. Nam per illam justitiam, qualem habebant Pharisei, nemo consequeretur regnum cœlorum. Licet enim non errarint in enarratione, Luc. 10, 27. tamen in applicatione, uti patet ibidem v. 29. Et licet essent audiendi, tamen quatenus in cathedra Moysis: Et licet majores illorum etiam laudentur, tamen intelliguntur Patriarchæ. Et licet vocet ἀνεργησάτω, tamen non significat certissimam sed laboriosam, uti ex Act. 26, 5. colligi potest. Ideoque exsuperantia legis est Evangelij sublimitas; quia illa actionem ponit, hoc autem nudam etiam voluntatem, nimirum usque ad intimas cogitationes judicariam sinceritatem ostendit, habet Pelusiota. Ideoque querenda est in Christi verâ justitiâ. Unde gloriatur cum Chrysostomo, non quod justi sumus, sed quia per Christum justificati sumus.

4. Specialiter, per inductionem, ubi est Scribarum & Pharisaorum quinti præcepti enarratio. v. 21. In quo in genere respectu antiquitatis seu causæ efficientis: Audistis quod dictum sit veteribus. *Per quos non intelligit Moysen & Prophetas; nam & ipsi legis internam impletionem urserunt, Exod. 23, 4. Lev. 19, 17. Sed Pharisaorum antecessores, uti patet ex v. 43. Nam Christus non rejicit hoc loco justitiam legis, sed justitiam Pharisaorum: justitia enim legis perfecta est. Psalm. 19, 8. Adeo quidem, ut nihil addi possit, Deut. 4, 2. Neque venit Christus tollere legem, sed adimplere, Matth. 5, 17. Igitur de Phariseis, intelligendum, quos audiverunt, qui volebant etiam esse antiqui. Ut discamus non omnia antiquitatis nomine commendata esse vera: sed antiquitas est Christus Jesus, inquit Ignatius. quem nolle audire, manifestus est interitus.*

5. Et formalis; non occides. *Affert itaque exemplum ex quinto præcepto, non quasi etiam primæ tabule præcepta non violarent; sed ut eo fortius stringat, cum secundæ tabule præcepta non servarent, quomodo gloriari possent de primæ tabule præceptis. Et quia tunc temporis omnes anguli erant pleni irarum. Et*
quia

quia homicidium pra omnibus aliis sceleribus diabolicum est, Joh. 8, 44. Et cum illud tantum externum homicidium manu commissum prohiberi docerent, quomodo sit intelligendum, declarare voluit.

6. In specie, consequens; quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudici. Nam quamvis status Reipubl. Judaica esset deploratissimus, habebant tamen iudicia sua. De rebus facilibus erat trium virorum; de rebus capitalibus Synedrion parvum, ubi erant 23. iudices. De rebus summis Sanhedrim ex 72. iudicibus, ex duodecim tribubus collectis, Numer. 11, 24, 26. Ut discamus iudicium observare, & ita homicidas non liberare: quia Deus etiam alias homicidas maledicit, Deut. 17, 24. eos morti adjudicat, Gen. 9, 6. Apoc. 13, 10. dat eis vite brevitatem Psal. 35, 14. talionis poenam, exemplo Ioabi 1. Reg. 2, 31. Amalechi 1. Sam. 15, 7. Seba & Salmone Jud. 8, 19. & tandem aeternam mortem Apoc. 21, 8.

7. Et ejusdem recta interpretatio, v. 23. in quo partim causa: Ego autem dico vobis. Sicque insufficienti legis interpretationi opponit suam pleniorum pro autoritate sua, quam ut Messias à Spiritu Sancto acceperat: Non quasi novus foret legislator, uti

retigimus, sed legis interpretator. Et uti loquitur Ardens; Non hic describuntur aditiones, sed expositiones. Colligitur exinde ipsum verum esse Deum, cum non dicat, hac dicit Dominus, sed ego dico vobis, habet Tertullianus de carne Christi cap. 14.

8. Et formalis, quoad interna & minora, ubi antecedens, quoad effectum; quod quisque irascitur. Ut ita ostendat variis modis posse homicidium committi; & manifestè & violenter, & occultè & latenter, & insidiosè & fraudulentè, & temerè & petulanter, & deniq; ommissivè & negligentè. Unde de ira loquitur, & homicidio voluntario: ira furor brevis est, & opus carnis, Gal. 5, 20. in stulti corde quiescit Eccl. 7, 10. saxo & arena durior, Prov. 27, 4. iustitiam non operatur Jac. 1, 20. Domino abominatio est Sir. 27, 33. Nec enim cavendum tantum à gravioribus offensis: cavenda sunt & levia, si tamen leve debeat dici, quodcumq; in fratrem presumpseris voluntate ledendi, habet Bernhardus serm. 29. super Canticum. Nam homicidium non tantummodo occidentis manu, sed etiam odientis animo perpetratur, ait Salvianus lib. 3. de Gubern. Et Salvator excludere iram voluit, ne ex ira odium nasceretur. Nec longè sunt ab occiden-

videntibus, qui animo occisionis oderunt, habet idem Salvianus lib. 8. de Gubern.

9. Quoad modum ratione objecti: fratri suo. Et ita omnes fratres vocamur, ut unius Dei parentis omnes filij, ut consortes fidei, ut spe coheredes, habet Minutius in Octavio.

10. Ratione conditionis: temerè: Quam vocem quidem Hieronymus dicit esse suppositiciam, Et Augustin. lib. 1. Retract. c. 19. asserit in Græcorum libris non inveniri. Tamen cum & Syrus habeat, & in plerisque legatur editionibus, rectè retinetur. Siquidem non omnis ira prohibita est: est enim quadam ira officii. Et tùm non irascitur ubi irascendum est, inquit Bernhardus epist. 69. ad Guido. imò nolle emendare peccatum est. Sic Jacob irascitur Racheli, Gen. 30, 1. Moses ob vitulum aureum, Exod. 32, 19. Elias contra Baalitas, 1. Reg. 19, 14. Eliseus contra Joas, 2. Reg. 13, 19. David odit Ecclesiam malignantium, Psalm. 65, 5. odio perfecto Psalm. 139, 21. Nullus est, habet Lactant. de ira Dei, c. 18. qui peccatorem possit videre tranquille: quia ipse peccati aspectus indignus est. Nam qui non moveretur omninò, aut probat delicta, est turpior & injustior, aut molestiam castigandi fugit,

git, quam sedatus animus & quieta mens asperratur ac reuult, nisi stimulauerit. Interim modus obseruandus est secundum Psal. 4, 5. Atq; ita uidemus etiam perfectionem legis requirere cogitationes sanctas.

11. Consequens est: obnoxius erit iudicio. Quo reus aequè tenebitur, ac is, qui manu proximum occiderit. Nam qui odit fratrem, homicida est 1. Johan. 3, 15. Et uoluntas, juxta Tertullianum de pœnitentia, c. 13. facti origo est. Ergo nobis non solum crimen, ut manu perpetretur, sed etiam ut cogitetur, fugiendum, & manus tam longè à cede arceatur, ut & animus cohibeatur, Nanzianzenus orat. 1. cont. Jul.

12. Quoad externa, & majora in uerbis mitioribus: iterum antecedens delictum: Quicumque uerò dixerit fratri suo Racha. Atqui ita ab affectu ad effectum progreditur. Est autem pœnà interiectio hebraica animi motum, uti habet Augustinus lib. 1. de serm. in monte exprimes, quæ tùm temporis uulgaris & usitata fuit, ut habet Basilius in quæstionib. compendii: quæ magis fiducia quàm iracundie causa dicebatur, uti habet Chrysost. Hom. 11. in c. 5. Matth. Hieronymus arbitratur idem ualere ac κενός in-

nis, vacuus: unde *Rekim* dicuntur nauci bo-
mines, *Jud.* 9, 4. *2. Sam.* 3, 34.

13. Et supplicium: Reus erit concilii. Ut
nempe ille sistetur & condemnetur, aut ex Ec-
clesia excommunicetur, digitumq; intendit ad
concilium magnum Hierosolymitanum, ubi
presidebant 72. iudices, dum nimirum nō tan-
tū voluit cor ab incompositis gestibus li-
berum esse sed & linguam.

14. Durioribus, quoad delictum:
quisquis autem dixerit, fatue. Ita prosequi-
tur Dominus quasi fibras precepti, ac omnes
penitus frutices ac ramusculos secat, habet
Salvianus lib. 3. de Gubernatione. Intelli-
guntur verò omnis generis convitia, scomma-
ta. Sic Iosephum fratres nominabant somni-
atorem, *Gen.* 37, 19. Simeï Davidem sangui-
narium, *2. Sam.* 16, 7. Pueri petulantes Eli-
seum calvum, *2. Reg.* 2, 23. Si nimirum fiat
contemtionis causa, non ædificationis, ut loqui-
tur Chrylost. Hom. 11. in Matth. Nam aliàs
etiam Christus ipse discipulos Emauntinos
stultos appellat, *Luc.* 24, 25. Paulus Galatas,
Gal. 3, 1. Moses Israelitas *Deut.* 32, 6. Samuel
Saulem, *1. Sam.* 13, 13. Iob uxorem, *Job.* 2, 10.
Ratione scilicet officij, non convicii. Unde in-
quit Augustin. cap. 6. ad Gal. Dilige & dic
quicquid voles.

15. Quo-

15. Quoad supplicium: reus erit Gehennæ. *Qua metaphorica aeternorum suppliciorum infernalium descriptio. Fuit autem Gehenna prope Hierosolymam vallis ad radices montis offensionis contra orientem, ubi lucus idolo Moloch consecratus, cui infantes sacrificabantur 2. Reg. 23, 6. Unde factum ut metaphoricè teste Hieronymo l. 1. in cap. 10. Matthæi, vocabulum Gehenna pro supplicio ignis infernalis aeterno sumeretur. Ut discamus linguam coercere & domare; aut si non possumus, Deum quaramus, quo domet linguam nostram, ut monet Augustin. serm. 4. de verbo Domini. Quomodo ergò censuram Dei ultoris evadere possunt, querit Cyprianus lib. 1. epist. 3. qui talia ingerunt non solum fratribus, sed sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, ut quisquis sacerdoti eius & ad tempus hic iudicanti non obtemperaret, statim necaretur, Deut. 17, 12.*

16. Partim est de reconciliatione mutua, cuius occasio est muneris oblatio v. 23. ubi causa impellens: Itaque si obtuleris munus tuum ad aram. Potuisset enim alius excipere, irascendum quidem non esse, si verò sit factum, quid faciendum? ergò ostendit

dit

dit modum. Maxime enim cura sunt Deo hominum inter se reconciliations: Nam idem ille inquit lib. 4. epist. 40. Isidorus: Qui caelestibus cum terrestribus gratiam redintegrait, odia quoque hominum dissolvit, neque nasci ea permittens, & si forte germinaverint, radicitus illa concutiens, ait enim: noli irasci: quia verò probe cognitam habet humanam infirmitatem, qua levi momento ad lapsum impellitur, etiam exortis inimicitiae dissolvit earum radices. Adeoque proprium munus imperfectum manere a quo animo fert, quoad usque inter nos in concordiam redeamus. Loquitur autem Christus ex consuetudine tunc recepta sacrificandi; Et erat error vulgatus, si sacrificium & reliqua ceremonia Levitica ita prestarentur, sufficere. Per aram altare Dei invisibile, quod non accedit injustus, inquit Prosper. Epist. 189. intelligitur. Alias verò aram ex templis nostris simpliciter non relegamus, cum & Apostolus Paulus I. Cor. 9. 13. faciat eius quoque mentionem, & mundicia omnia sint munda. Tit. 1, 15.

17. Et causa interna movens: Et illic recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid adversum te. Sive justè, sive injustè habeat. Et non dixit, si habes tu contra illum,

illum, ait Theophylactus in Matthæum, sed si habet ille contra te; ut sic potius lesus informetur, quia ledens arbitratur lesum nihil habere, sed jure egisse adversus eundem: Et quia Matth. 18, 15. & Luc. 17, 3. expressè dicitur, si peccavit in te frater tuus: ubi lesus jubetur abire, & reconciliationis facere initium. Deniq; jubemur diligere inimicos, Luc. 23, 34. vincere bono malum, Rom. 12, 20.

17. Et modus, est fratris compellatio. v. 24. in quo antecedens ab effectu; tum quoad munus; relinque illinc munus tuum coram altari. Non enim irascitur Deus, quia differs imponere munus tuum, ait August. serm. 16. de verbo Dom. namq; te Deus magis quam munus tuum vult. At si malum animum gerens adversus fratrem tuum, veneris cum munere ad Deum tuum: respondet; tu periisti, quid mihi attulisti? offers munus tuum? Et tu non es munus Dei? plus querit Christus quem redemit sanguine, quam quod tu invenisti in horreo tuo. Ergo relinque munus tuum ante altare.

18. Et quoad modum; & abi prius reconcilietis fratri tuo. Cultus enim blandiloquus est, & Deum non placat, nisi placatus fueris cum proximo, mutua universos chari-

tate

rate devinciens. Nullum impacifica orationis finem patitur, inquit Hilarius in Mattheum, can. 4. sed altari munera ferentes, si recordentur habere se cum fratribus aliquid, reconciliatâ humanâ pace reverti in divinam pacem iubet, in Dei charitatem de charitate hominum transgressuros.

19. Consequens: & tum veni, & offer munus tuum. Nemo enim veniam impetrare contendat, nisi fratri ipsi veniam dederit: & munus non accipitur, habet Gregorius Magnus lib. 4. cap. 60. nisi ante discordia ab animo repellatur. Unde imprimis scire debemus, quod quamdiu fideles homines aliquam dissensionem habent inter se, Deus non possit illis esse cognitus, nec munus eorum suscipitur, oratio non exauditur, vel si quid aliud boni fecerint; quia nemo inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborum. Imò & Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu illi inter se fuerint inimici. Et frustra profectò propitiari sibi Deum querit, qui citò placari proximo negligit, habet Hugo de sancto Victore, lib. 3. c. 30. de anima. Et si absit, saltem aperte statuisse oportet, quod, statim ubi illum ad eundem commoditas sese offeret, cum illo velis reconciliari, habet August. lib. 1. de serm.

Do-

Domini in monte, cap. 21. *Modum ostendit*
 Chrysoft. hom. 15. in Matthæum, c. 5. ubi
 inquit, dic mihi quomodo reconciliabor? qua-
 lis præcessit offensio, talis æquè sequi debet re-
 conciliatio: si cogitatu offendisti, cogitatu re-
 conciliare, si factis, factis reconciliare.

21. Et ratio, est tùm periculi æstima-
 tio v. 25. in quo in genere mandatum: ha-
 beto benevolentiam adversario tuo. Ubi
 cum non mutetur subjectum, omninò etiam,
 intelligendum est æquè de leso, uti antecedens.
 (quamvis negari non possit utramq; glossam
 Anselmi & Strabi, interlinearem & ordina-
 riam & ex his Liranum Lutherum, & c. la-
 sum & ledentem intelligere) Nam ex ante-
 cedentibus & consequentibus manifestus est
 sensus, habet Hieronymus, quod Dominus
 atq; Salvator noster, dum in istius seculi via
 currimus, ad pacem & concordiam adhortetur.
 Et per adversarium non Diabolus signifi-
 catur, sed potius omnis is, qui nos læsit: ille
 enim adversarius noster est. Nec dicas, quæ
 Chrysoftomi verba sunt: hom. 11. operis
 imperf. Ille mihi nocuit, non ego illi: ille mihi
 satisfacere debet, non ego illi. At si pro glo-
 ria salutis tuæ iubet te Dominus amicitiam
 facere, magis nocuus debes rogare, ut duplicem

glo-

gloriam consequaris, unam, quia nocuus Iers
 lesus es, & alteram, quia prius rogasti: Si enim
 in illum nocuisti, & ideo rogasti, parceri tibi
 Deus, quod nocuisti, quia prius rogasti: ta-
 men nullam habes mercedem, quia reus con-
 stitutus rogasti. Si autem ille te laeserit, & prius
 rogaveris, magnam habebis mercedem.

22. In specie à brevi curriculo, quo-
 ad tempus conjunctim; citò. Sanè commo-
 rio tua tibi oriatur, ubi oritur, inquit Bern-
 hardus super canticum: nec permittatur ex-
 ire, qua mortem portat, ne perimat.

23. Distinctim à tempore; dum es in via
 cū illo. Quasi velutis abire ad iudicem. Intel-
 gitur autem vita per metaphoram humana,
 quia nullum tempus vacuum affectu placabi-
 litatis esse permittit, inquit Hilarius conc.
 4. Matthæum. Et citò in omni vita nostra re-
 conciliari cum adversario nostro decebit;
 quia posteaquam ex hoc seculo transierimus,
 nulla compunctio seu satisfactio remanebit,
 habet Augustin. de verbo Domini, hom. 5.
 Est enim vita nostra peregrinatio. ideoq; re-
 mittamus dum tempus est, Gal. 6, 12. dum
 hodiernus dies, Hebr. 3, 13.

24. A detrimento per similitudinem
 allegoricam, petitam à iudicio; quoad per-
 sonas



sonas, cujus antecedens: ne quando te tradat adversarius iudici. Si quis nimirum ob debitum accusatur. Per adversarium intelligitur proximus, cui irreconciliabiles sumus: per iudicem Deus, apud quem nos ob implacabilitatem accusat. Quid verò prodest tibi, si unus ad Deum pro te oret, & alius adversum te Deum interpellet? Alioquin nisi quem factus laesisti, factis placaveris, sine causa oras ad Dominum, sine causa eleemosynas facis de rebus, quibus alios spoliasti, ait Chrylost, Hom. II. in Matth. c. 5.

25. Et consequens: Et iudex te tradat ministro. Deus qui quarens reconciliationem & non inveniens conqueritur de implacabilitate nostra, & propterea indignatur non sanium, sed & damnat, & Diabolo, qui est minister, committit. Et mirum non est, habet August. lib 1. de tempore. quod Dei indulgentiam sibi claudat, qui fratri remissionem denegat.


26. Quoad locum: in carcerem. In Gehennam seu infernum, ubi sunt tenebrae exteriores, uti habet Glossa ordinaria ex 1. Petr. 3, 19.

27. Et poenae consideratio v. 26. in quo praemittitur assertio: Amen dico tibi. Ne

bi. *Ne quis putet rem levem, ideoq₃ jurat Deus, non fore aliter.*

28. Et exponitur per negationem; & non exhibis illinc. *Nempè ex carcere seu Gehenna, ex qua nulla datur redemptio, ut ait Lyra in cap. 5. Matth.*

29. Et conditio: *Donec persolve- ris extremum quadrantem. Qua est condi- tio impossibilis. Et loquitur Christus allego- ricè, ex consuetudine civilis iudicij, ut si debi- tum prestare quis non potest, perpetua tenetur captivitate. Nam isthic donec idem significat quod nunquam, sicut inquit Glossa: uti in illo: Donec ponam inimicos scabellum pedū, uti & monet Theodoretus Psalm. 110, 1. Et Augustinus de octo Dulcitii quæstio- nibus, poniturq₃ pro infinito, uti notat & Beda.*



NOTE.

I.

N *isi abundaverit.) Considera justi- tiam Pharisæorum non esse proba- tam,*

O 2


tam, licet magna fuerit; ut discas probare tuam, quanta sit illa, quae talium nec minima praestet.

II.

I Rascentem obnoxium esse Gehennae.) Considera peccata apud homines quidem levia censerit, sed non apud Deum; ut discas etiam minima quaeq; ponderare.

III.

R Econciliare fratri.) Considera etiam qui offensus & offendit fratres dici & vocari; ut discas neminem tanquam hostem habere.



CASUS.

An imprecari licitum?

V Idetur. quia David Psalm. 96, 29. inquit: deleantur de libro vitae, & cum justis non scribantur.

2. Pau.

2. Paulus vovet ut Pseudopostolis abscindantur, Gal. 5. 12. item dicit anathema non amanti Jesum, 1. Corinth. 16, 22.

3. Jura canonica c. 13. Apostolicæ autorit. 24. q. 3. & c. 18. Ecce autem crimina igne pie increpationis urenda sunt. & cap. 25. ibidem, illi qui pauperes depredati fuerint, vel bona eorum rapuerint, anathematis vinculo feriantur.

Contra 1. hic prohibetur: uti omne convitium sic & maledictum. Sir. 1, 11. enim dictum: benedicite iis, qui maledicunt vobis. Matth. 5, 44. Rom. 12, 14. nolite maledicere. Christus ipse precatur pro crucifigentibus, Luc. 23, 34. Stephanus pro lapidantibus, Act. 7, 16.

2. In jure arg. l. 15. §. 2. ff. de injuriis. quamvis non omne maledictum sit convitium.

3. In jure canonico c. si igitur.

10. 24. q. 3. nos ab omni maledicto puri
esse debemus.

3. Farinac. q. 20. n. 22. Pract.
criminali. Catal. in tract. synd. n. 104.
105. Henricus Boye in c. 1. n. 6. de
maledicis.

Ad 1. respondet Augustin. l. 16.
contra Faust. c. 22. cum ex prophetia di-
cuntur, non sunt de malo voto, sed de pro-
prio spiritu denunciantis. Non itaq; quod
David & Paulus fecit cuilibet licitum
imitari, cum Spiritus ille discretionis &
prophetiae non datus sit omnibus.

Ad 2. Qui contra personas incon-
vertibilium hostium Dei & piorum orant,
non faciunt ex vitioso affectu, sed pio zelo,
commendantes iustitiam & potentiam
Dei in convertendis hostibus. Ideoq; re-
linquunt Deo executionem imprecationis
vel ad conversionem ex Psalm. 83, 17.
imple facies illorum ignominia, ut quaerant
faciem tuam : vel ad perditionem,
&

& sunt approbationes sententia divina
 in Scriptura lata : nec referuntur ad ho-
 minus pœnam, sed ad punientis justitiam :
 Licet mallent p̄ omnes ita vivere, ut mi-
 sericordia Dei potius quàm justitia, locum
 inveniret, Psalm. 58, 11. Distingendum
 igitur inter personas publicas & privatas,
 inter officium & convivium.

Ad 3. jura Canonica volunt aequè
 de sententia justitia Unde habetur c. 12.
 cum sancti viri. 24. q. 3. maledictionis
 sententiam proferunt, non in hanc voto
 ultionis, sed justitia examine prorumpunt,
 intus enim subtile judicium aspiciunt, &
 mala foris exsurgentia, quæ maledicto
 debent feriri cognoscunt ; & in eo male-
 dicto non peccant, in quo ab interno judi-
 cio non discordant. Scriptura sacra duobus
 modis maledictum memorat, aliud vide-
 licet quod approbat, aliud quod damnat.
 Aliter enim maledictum profertur judicio
 justitia, ut in ipso primo peccate probatum
 est, cum audivit. Maledicta terra in ope-
 re tuo,

re tuo, &c. & sicut Abrahæ dicitur male-
 dicam maledicentibus tibi. Aliter verò
 profertur maledictum quod non iustitia,
 sed livore vindictæ promitur, à quo voce
 Pauli cessare monemur, qui ait, benedici-
 te, & nolite maledicere. Et can. 11. ibid.
 Cum ergò in singulis quibuscumque fidelium
 talis sit propositi varietas, hoc mihi desi-
 gnari videtur in hoc loco, quod dimidijs
 illi, qui juxta montem Garizin incidunt
 (illum, qui ad benedictiones electus est)
 istos figuratiter judicent, qui non motu
 pœnae, sed benedictionum, & repromissio-
 num desiderio veniunt ad salutem, illi
 verò dimidijs, qui juxta montem Gebal
 incedunt, in quo maledictiones prelatæ
 sunt, istos alios indicent, qui malorum me-
 tu, & suppliciorum timore complentes,
 quæ in lege scripta sunt, perveniunt ad
 salutem. Videatur Balduin. lib. 2. de
 casibus conscient. cas. 8. Unde & illi-
 citum Psalm. 109. contra inimicos reci-
 tare, quia potius de Christo contra Judeos
 intelligendus, quàm de aliis usurpandus,
 ex Act. 1. 20. Broehmā. de Invo. cas. 10.

Amico Respondenti

Tetrastichon.

Quanta Aquila inter aves cunctas est
gloria Regis,
In vernos flores gratia quanta rosis.
Inter sydereos Triviæ splendoribus ignes
Sic tibi Theologia, gloria talis eris.

A. Senff Werdâ Misn.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ὄρνέον ἐστίν, ἰσάρχη ἐάν, φοῖνιξ μονοειδές,
Πλησίον, ἐάν, φοῖνιξ ἔσται ἐρῶν αἰδύλως.

VOGEL

ἀναχ.

O G. E. L. U.

Vincimus ab feritate feras, levitate vo-
lucres:

*Squamigera gentis Neptunia frigore regna:
Amplius ignorant geminas Adamantina
flammas*

*Pectora, ceu volucres sulcarunt aëra terris
Expulsa, glacialis hyems brumale moratur
Pectus, ne foveat Charitas. Heu frigora cor-
dis!*

*O G. E. L. U! pulsas praele & quod nomine,
tandem*

Quo bonitate feras vincamus, bile volucres.

Johan. Andr. Hatzerus H.S.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



VΦ 17




EVANG.

CHRIST.

HALL.


Q2.C





B.I.G.

Farbkarte #13



IVITIARUM
GELICARUM

quisitio XXXVII.

PRÆSIDE
ANO GUEINZIO

mnasii Hallensis
Rectore

Respondente,

PHORO VOGELIO,
sa. Hermunduro.

V. I. post Trinitatis.

R. cl. Ic. III.



LLIS SAXONUM

*edum Melchioris Oel-
schlegely*

